DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER KING,

Hibernus,

CHIRURGUS.

"*Constat et in fontes vitium venisse, lacusque.*"

OVID.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

Excudebat Jacobus Neill.

MDCCCXIX.

FRATRI CARISSIMO

Roberto King,

ARMIGERO,

IN URBE LEEDS,

ARTEM SALUTIFERAM DIU

SUMMO CUM FRUCTU

EXERCENTI,

HAS PAGINAS,

FRUCTUM AMORIS SUI PERENNI,

FRATER,

ALEXANDER KING.

FRATRI CARISSIMO,

Roberto King,

ARMIGERO,

IN URBE EBLANÆ,

ARTEM SALUTIFERAM DIU

SUMMO CUM FRUCTU,

EXERCENTI,

HAS PAGINAS,

EXIGUUM AMORIS FRATERNI,

PIGNUS,

SACRAS ESSE VULT

ALEXANDER KING.

NECNON

AMICO SUO SPECTATISSIMO,

Joanni Morrison, M. D.

APUD *NEWRY*,

IN COMITATU DE DOWN,

VIRO

INGENIO JUDICIOQUE

PRÆDITO,

OB MAGNAM AMICITIAM QUÆ

PER

LONGUM ANNORUM DECURSUM

INTER SE EXTITIT;

HANC DISSERTATIONEM,

ÆSTIMATIONIS PEREXIGUUM,

SED SINCERUM,

MONUMENTUM,

D. D. C.QUE.

AUCTOR.

" He had a fever when he was in Spain,
" And, when the fit was on him, I did mark
" How he did shake: 'tis true, this god did shake:
" His coward lips did from their colour fly;
" And that same eye, whose bend doth awe the world,
" Did loose his lustre: I did hear him groan:
" Ay, and that tongue of his, that bade the Romans
" Mark him, and write his speeches in their books,
" Alas! it cried, *Give me some drink, Titinius*,
" As a sick girl."——

SHAKSPEARE.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRIBUS

INTERMITTENTIBUS.

LEGIBUS hujus celeberrimæ Academiæ jubentibus, ut omnes qui Doctoris Gradum in medicina adipisci volunt, aliquid specimen scientiæ medicinæ in lucem proferrent, morem gessi, et nonnullas observationes de febribus intermittentibus conscripsi, quos morbos mihi in Demeraria, per quindecim annos artem medicinalem exercenti, maxima fuit copia videndi.

Febres quæ impetum suam vicissim renovant, intermittentes nominantur, et a claro CULLENO

ita definiuntur: "Febres, miasmate paludum "ortæ, paroxysmis pluribus, apyrexia, saltem re-"missione evidente interposita, cum exacerba-"tione notabili, et plerumque cum horrore re-"deuntibus, constantes; paraxsmo quovis die "unico tantum."

Hæ secundum spatium temporis quod in intervallis occupant, in *quotidianas*, *tertianas* et *quartanas* dividuntur.

Tempus ab aggressione paroxysmi unius ad accessionis proximi initium, *intervallum* nominatur; spatium ex terminatione paroxysmi ad principium sequentis *intermissio* vocatur.

In quotidiana paroxysmi post viginti quatuor horarum intervallum redeunt; si diebus alternis accessiones recurrerent, tertiana nominatur; febris primo quartoque die regrediens, quartana dicitur. Exempla sunt intervalli longioris, hæc autem rarissime occurrunt; ordinem minus stabilem servant, et forsan tantum tertianæ vel quartanæ varietates accenseantur.

Hora impetus singulis variat, in quotidiana accessio inter septimam et octavam horam matutini plerumque accidit, tertiana circiter meridiem recurrit, et in quartana inter quartam et

quintam horam vesperi, raro citius aut serius quam ex consuetudine redit. Tertianæ varietas haud raro sese ostendit, quæ tertiana duplex nominatur, in qua paroxysmi quotidie revertunt, ea lege, ut primo tertioque diei, pares contingant accessiones, graviores aut leviores, quam quæ secundo quartoque accidunt, quæ quoque consimiles inter se prodeunt, et ex his horaque impetus ab quotidiana, si discrimen aliquid valeat, dignoscitur.

Aliæ varietates tertianæ et quartanæ auctoribus commemorantur, sicut tertianæ triplices, duplices et triplices quartanæ. Sed inter has discernere posse minime valeat, ut hæ omnes eodem modo tractantur.

Febres intermittentes tempore verno et autumnali sæpissime adoriuntur, hinc nominantur; illæ ardentiores sunt, et diathesin inflammatoriam plerumque conjunctam habent, hæ autem proclivitatem ad putredinem ostendunt. Tertiana regularis aliis longe frequentior est, quartana quam quotidiana usitatior obvenit, et difficilior est curatu.

Tertianæ vere frequentius, quartanæ autumno occurrunt; priores validos et juvenes, virosque

potius quam fœminas impetunt; quartanæ homines jam in senium vergentes adoriuntur, et maxime eos quorum vires vel duro vitæ genere, vel morbis, infractæ fuere; temperamento phlegmatico præditi, debiles, pueri, et fœminæ, præ ceteris quotidianæ patiri dicuntur, et potissimum tempore verno.

Licet nulla ætas his morbis exempta est, ætas prima et provectior iis minus obnoxiæ sunt.

In regionibus calidis hæ febres multo magis quam in cœlis temperatis existunt.

Attamen febres intermittentes in Demeraria tam sæpissime obveniunt (res minime miranda iis quibus situs internus terræ cognoscitur, et pars orbi in qua ponitur) mauri, etsi tam multum causis eorum expositi, hos morbos rarissime patiuntur, quare, haud est facile dictu; sed res est bene nota, illos ex *Causo endemio*, aut febre flava, ut vulgo, sed improprie vocatur, penitus immunitatem habere; etiamsi illi frequenter quadam febre ephemera afficiuntur, quæ stadium calidum intermittentis valde assimilat, sed quod magna excitatione, qualis, labore sub æsto fervido peracto, intemperantia, et quodcunque genus vascu-

losum augeat, originem duxisse videtur, et quod causis excitantibus remotis sua sponte recedit.

Duratio paroxysmorum plurimum variat, in omni specie febris intermittentis ante viginti quatuor horarum semper peragitur; sed plerumque inter sex et decem horarum cursum confecit. Quoties accessiones solito serius revertuntur, febris tardans vocatur, cum solito citius paroxysmi redeunt, prævertens nuncupatur.

In quovis intermittentis paroxysmo regularis, tria notantur stadia; nempe *frigoris*, *caloris*, et *sudoris*, quæ in omni specie uno cum altero dissentire solent, quippe stadium quartanæ frigidum longius quam tertianæ, hujus vero stadium longius quam quotidiana est, omnium horum stadia calida, ordinem prorsus contrarium sequuntur. Stadium quotidianæ frigidum, quamvis brevissimum sit, stadium tamen calidum, atque paroxysmus longiora sunt, quartanæ stadium frigidum est longissimum, tertianæ inter utrumque.

Stadia ordine quo usitatius occurrunt nunc describenda sunt.

Stadium Frigidum. Cum viribus imminutis, et ad munera vel mentis, vel corporis exercendum aversatione, languore, lassitudine, oscitatione, et pandiculatione, hoc stadium morbi obrepit, facies penitus callapsa pallescit, cutis inhorrescit, quasi algore constricta ; extremi digiti, ungues et apex nasi livescunt, oculi admodum languidi, et nitore solito penitus orbati apparent ; hæc signa leve extremorum frigus subsequitur, quod gravior factum paulo mox dorso percipitur, intremit maxilla inferior, et demum totum corpus tremoribus concutitur, quæ aliquando tam longe perdurant, ut æger de redeunte calore fere despondere animum incipiat. Haud raro in hoc stadio morbi, dolores capitis, lumborum et articulorum magnorum superveniunt, pulsus antea tardus, frequens et nonnunquam irregularis evadit, etiamsi interdum ex initio morbi celer est, respiratio crebra et laboriosa fit, et tussi frequenter comitata ; sensus gravitatis circiter præcordia sentitur, animus multo demissus est, nam nullus morbus quam stadium frigidum intermittentis, magis animi vires resolvit ; omnes corporis secretiones imminuuntur, aut mutantur ; urina, si bile non tincta fuerit, expers coloris redditur, et neque nubecu-

lum ostendit, aut ullum sedimentum deponit; alvus astringitur, cibi appetentia imminuitur, sitis urget; lingua albida et sordida fit, nausea materiæque biliosæ vomitus, præsertim in regionibus fervidis succedunt; facultas sentiendi multum hebetur, et stupor et somnolentia sæpe usque ad coma ingravescunt.

Hoc stadio paroxysmi durante, si qua pars corporis antea tumeret, nunc decrescit, et ulcera fundere humorem cessant, sed in stadio sudore ad primam conditionem plerumque revertunt.

Duratio hujus stadii plurimum variat, sæpe in unius horæ spatio peragitur; interdum sed raro, per tres aut quatuor horas perdurat, aliquando haud semihora perstat, et nonnunquam tam leve est ut vix percipitur, tantoque citius plerumque solvitur quanto sæpius revertere solet.

Stadium calidum. Vomitus stadio frigido plerumque finem ponit, et corpus calescere pedetentim incipit, nunc ardores et rigores vicissim redeuntes, prior tandem predominat, et per totum corpus diffunditur.

Pulsus plenus, validus, regularis, et interdum durus fit, cutis antea pallida et collapsa, nunc rubra et turgida evadit, vultus et superficies corporis rubet et intumescit; oculi vivescunt, et splendorem solitum recuperant, respiratio etsi suspiriis interrupta, liberior et plenior fit; sensus circa præcordia minus torquet, dolores capitis, lumborum et articulorum magnorum, ingravescunt; arteriæ temporum multo violenter agitantur, lingua albida et sicca apparet; sitis vehementius urget, et nunc æger de calore ardente multum conqueritur, quo explorato, instrumento FAHRENHEITI, ad gradum centesimum tertium, quartum, vel usque quintum accidit; summa inquietudo et jactatio ægrum perpetuo fatigant, qui corporis posituram assidue mutando levamen frustra petit; urina rubella dimittitur, sed nondum sedimentum deponit; sentiendi facultas acuitur, ita ut aures sonum et oculi lucem male patiuntur, his delirium plerumque evenit, mens vaga huc et huc aberrat, et una re detineri nequit.

Stadium Sudoris. Calore aliquantulum evanescente cutis molli sudore spargitur, qui primum in palmis manuum, fronte et pectore erumpit, sed

paulo post cum insigni levamine per totum corpus diffunditur, pulsus mollior, plenior, et minus frequens evadit, calor cutis gradatim imminuitur, respiratio facilis et regularis fit, lingua humida apparet, sitis extinguitur, urina copiosa et turbida redditur; sedimentumque lateritium abunde deponit, eodem tempore dejectiones quædam liquidæ et biliosæ frequenter occurrunt, et omnes aliæ functiones restituuntur. Nunc æger in somnum placidum labitur, ex quo cum expergiscitur solum de fatigatione et debilitate conqueritur; mox redit cibi appetentia, et omnes febriles motus brevi conquiescunt.

More supra dicta paroxysmus febris intermittentis regularis peragitur, nec necesse habemus ut omnia symptomata jam enumerata simul adsint, quæ tamen, majore vel minore gradu, una urgeant; nec diversa morbi stadia in omni exemplo ordinem consuetum legunt, vel eandem rationem inter se tenent. Exempla sunt in quibus, a norma solita deflectunt, ut, unum alterumve morbi stadium vel vix conspiciatur vel omnino absit; hoc de stadio frigido potissimum verum est, nonnunquam caloris et sudoris stadia una superveniunt, aliquando sudoris stadium desit, et

æstus vel epistaxi vel hæmoptysi vel sanguinis ab hæmorhoidalibus fluxu, vel diarrhœa biliosa, vel urina large sedimentum deponente solvitur.

Ordo stadiorum, quamvis rarissime, prorsus invertitur, et paroxysmus sudore incipiens frigoris denuo finem habet.

Interdum sudor utcunque profusus, caloris vim minime temperat, et cutis ardor usque ad initium paroxysmi insequentis perstat. Hoc in quotidiana et tertiana duplice maxime evenit, et principue circa tempus quo in remittentes transituræ sunt.

Febres intermittentes primo sæpe varios induunt typos, et non nisi paucis diebus elapsis naturam suam paroxysmis distinctis aperte ostendunt. Sæpe in terris solis ardore exustis, in remittentes aut continuentes vertuntur, et æger in morbum periculosum, præsertim si regionibus fervidis insolitus, labitur.

Interdum dolor capitis periodice recurrens, unicum est febrium intermittentium indicium, typi rationem exacte retinet, iisdemque remediis cedit, vel sine horum usu solito paroxysmi tempore peracto, sponte recedit.

Dysenteria aliquando epidemice grassatur, in iis regionibus ubi febres intermittentes endemiæ existere videntur, et hi morbi vicissim ægrum corripiunt, dum prior decedit, alter supervenit, haud raro ambo epidemice una incedunt, eandemque causam agnoscere videntur.

Febres intermittentes aliis morbis sæpe complicantur. In tropicis terris morbi hepatici, obstructiones, diarrhœa, dysenteria, icterus, hydropsque, his febribus frequentius conjunguntur.

Intermittentes autumnales ægre medicinæ auscultant, donec tempus vernum appropinquat, sub cujus adventum mitescunt, et facile abiguntur; dum intermittentes vernales cum jam præterit æstas, facilius semet subducunt, quasi tunc morbus cursum confeceret, cum anni tempestas genium mutat.

Antiquis, et etiam quibusdam medicis recentioribus persuasum fuit, febres intermittentes, præsertim tertianas, corpus e multis morbis quibus antea implicitum fuerat, liberare, et has itaque febres salubri naturæ conatu institutas fuisse ad semina morborum latentia expugnanda, denuo eruptura, si hæ temere repressæ fuerint. Hinc antiqui sæpe ab his febribus tollendis non solum

abstinuerunt, sed etiam ad eas concitandas solertes fuere, quibus scilicet alia et graviora mala arcerent.

Hæ febres epilepsiæ, hysteriæ, maniæ, melancholiæ, et aliis morbis supervenientes, eos nonnunquam fugarunt. Cum igitur ægri his malis opportuni fuerint, febris effectus in iis sanandis prius experire decet, quam ad remedia confugitur.

QUÆ CADAVERIBUS INCISIS PATEFIUNT.

Sectione cadaverum eorum qui hoc morbo correpti fuerint, omnium viscerum quæ injuriam accipiunt, hepar et lien maxime pati objiciuntur; alia viscera quoque nec immunitatem habent, ventriculus inflammatus, et grangræna obsitus, et hoc viscus cum intestinis proximis materia fellea impletum invenitur; intestina aliquando materia nigra et viscida obducuntur; horum superficies externa nonnunquam lympha coagulata tecta, et adhesiones inter viscera vicina adaperta sunt; glandulæ mesentericæ durantur, et ampliantur, pancreas aliquando du-

rius et grandius quam ex consuetudine reperitur; jecur maxime induratum, et tumidum conspicitur, sed interdum contra coarctatur et extenuatur, vesiculaque fellis bile acriore scatere videtur, at vere lien potissimum admodum intumescit, adeo ut id vitium homine jam spirante oculis pateat, nonnunquam eo grandescit ut ventris dimidiam partem impleat, durioris simul compagis, interdum mollioris esse solet; et in nonnullis quos morbus e vivis subito rapuerit, abdomen atro cruore, qui ex liene rupto emanebat, oppletum inveniebatur.

Pulmones inflammationis, rarissime vero gangrænæ indicia ostendunt, adhesiones quoque inter pulmones et pleura interdum formantur, aliisque in exemplis hoc viscus suppurasse apparuit; in nonnullis exemplis cavitas thoracis materia rubra oppleta videbatur.

DE CAUSIS.

Causæ omnium morborum duplicis sunt generis, nimirum, quæ corpora ad eos subeundos proclivia reddunt, et quæ substante præclivi-

tate ipsos recte inferunt. Quodcunque directe aut indirecte debilitatem inducit, corpus ad hunc morbum suscipiendum proclivius reddit; hinc animi affectiones deprimentes, sicut timor, mœror, ira, solicitudo, expectationes frustratæ, &c. Calor nimius, fatigatio, præsertim sub sole ardente inducta, diæta parca et insalubris, pervigilium in locis humidis et frigidis, stragulis vel vestimentis madidis dormiens, liquorum spirituosorum abusus, nimium studium, venus immoderata, frigus, rores nocturni in regionibus fervidis, et in locis paludosis, evacuationes solitæ præter ordinem profusæ, crapula, Eurus, corpus calore exæstuans frigori temere objectum, et omnia quæ debilitatem inferunt, ad hunc effectum tendunt.

Unica causa nunc fere omnes medici consentiunt has febres ciere valet, nempe halitus paludibus et vegetabilibus putrefactis exortus.

Cum pro comperto habetur quasdam naturas aërias e paludibus proficisci, et præsertim gas hydrogenium sulphuratum, carbonatum et phosphoratum, hinc nonnulli sibi persuaserunt aliquod ex his esse halitum quem prosequor; nihil autem certe de hac re cognoscitur; nec minus latet, qua via aut ratione hoc subtile venenum corpus subeat,

aut receptum noceat, quomodocunque introeat. Cerebrum et nervos recta sedare satis manifeste apparet.

Sunt qui lunam in his febribus imperium haud leve exercere credunt; et rem ita se habere, saltem in India Occidentali, utcunque inexplicabile sit, mihi vere eadem sententia est, et quicunque in illa regione diu habitaverit, istam opinor sententiam tenebit, ratio cur ita sentio est, ut hæ febres per id tempus, qui novilunium aut plenilunium vocatur, fere semper impetum faciunt, et cum per paucas hebdomadas propria tractatione cursum ejus impeditur, apertam proclivitatem temporibus jam dictis revertere ostendunt, et plerumque ipsa certe die interlunii impetum renovant; incolæ hunc præsentiunt, et illos quos morbo laboraverint, dum convalescunt, experientia docet hoc tempore accessionem antevertere ad usum remediorum confugere, quæ ægrum frequenter discruciat, si hanc salutarem cautelam negligat; porro, si causæ excitantes aut prædisponentes tam imbecillæ sunt, ut verum morbum inducere nequeant, æger temporibus jam dictis unam alteramvæ accessionem sæpe patitur, quæ solito tempore peracto sua sponte evanescere solent.

Febres intermittentes eos qui ea semel laboraverint, ad recidivam maxime pronos relinquunt, quæ dispositio non solum per annos, sed etiam per totum vitæ decursum, remaneat; et vento ab oriente acrius spirante, vel aliis causis jam relegatis, quæ ad eum primum inducendum nequaquam valerent, dum talis proclivitas corpori inhæreat, morbus sæpe renascere solet.

Aër et rores nocturni, præsertim in regionibus calidis, miasmatum vim plurimum extendere videntur; mens depressa ad has febres excitandas maxime confert, affectus contra qui animum erigunt, corpus utcunque defatigatum, ab omnibus morbi causis incolume præstant; hinc milites, dum in regionibus admodum insalubribus bellum acriter gerunt, omnia ardora subeuntes, sæpe secunda valetudine fruuntur,—ut primum autem ad hiberna redeunt, morbis gravissimis torquentur.

PROGNOSIS.

Ex vi et duratione paroxysmorum, tempore quo morbus permanserit, constitutione et vitæ genere ægri prognosis præcipue pendet.

In nostra regione nil fere est cur intermittentis regularis eventum timeamus; in regionibus calidis, autem, res haud ita feliciter evenit; et morbus nonnunquam lethalis evadit. Funestus tamen exitus sub nostro cœlo, potius e morbi sequelis quam e morbo ipso timendus est. Quanto acerbiores contingant accessiones, quantoque minus integrum hominem demiserint, tanto minus spei subesse solet. Sed quo vehementius paroxysmus accenditur, eo magis perfecta integritas subsequi solet, et quo manifesto magis crisis, eo certius morbus solvitur.

Si ab initio paroxysmi leves sunt; si in apyrexia nulla vestigia morbi remaneant; si cibi appetentia redeat, et concoctio bene peracta fuerit; si lingua munda fit, et urina turbida evadit, sedimentumque copiosum deponit, et æger vultum naturalem tenet, demum si omnes animi corporisque functiones, pristina salutis officia præstare valeant, rem feliciter esse cessuram jure colligere liceat.

Eruptiones circa angulos oris, aut phlegmasiæ in variis partibus corporis parvulæ erumpentes, inter fausta ejus symptomata recensentur. Si quartana aut quotidiana tertianam invertitur, sive ac-

cessiones sensim corripiuntur, aut integritates producuntur; si tempus accessionis postponitur, exitum felicem auguramur. Pariter bonum estimandum, si ex duplice febris intermittens in simplicem vertitur.

Sed si calor corporis vix sudore imminuitur, et intermissiones breves et indistinctæ evadunt; si febris ad remittentis vel continuæ formam magis tendit, cum cute calida et arida, magnoque debilitate consociata; si adest pervigilium aut cupiditas dormiendi, tunc æger in multo periculo versatur.

Si pulsus debilis, frequens, et abnormis fit, et lingua arida et fusca apparet, cum respiratione anxia, crebra et laboriosa, si delirium aut coma, et deglutitio difficilis, adsunt; si abdomen tensum, tumidum, et molestum tactu evadit; si æger lodices colligere, et res imaginarias quas ante osculos volitare putat appetere, observatur, si corpus et urina odorem ingratum emittunt, si facies collabitur, extremæ frigescunt, et diarrhœa invita supervenit, hæc omnia signa mortem in propinquo esse obnunciant.

METHODUS MEDENDI.

MEDENDI consilia sunt duo; imprimis, inter accessionem, signa pejora lenire, et quam celerrime sudores arte inferre. Secundo, accessione finita, vires sustinere, indicia mala aut abnormia fugare, vel levare, et febri recidivæ obviam ire.

In disputando de curatione, priori consilio exsequendo accommodata, singulas partes accessionis considerabo.

De remediis inter rigores adhibendis.—Natura ipsa satis manifeste corpus hoc tempore califieri et foveri jubet; optime tepidarium id præstat, quod lenissime agit, et summa cute resolvenda persæpe vim accessionis attenuat, et quasi frangit; ægro deinde cubandum est toralibus laneis operto; juvabit simul panno laneo tepefacto artus fricare, et præsertim pedes, lateribus fervidis in panno laneo involutis, aut vasis aqua calida plenis focillare. Potus diluti, quales sunt aqua hordeo vel oryza imbuta, vel serum lactis, ingeri debent. Emetica paulisper ante impetum

paroxysmi exhibita, ad brevius stadium frigidum reddendum maxime pollent; illa ventriculum et canalem alimentarium sordibus liberant, et actioni remediorum efficacissimorum, quæ postea adhiberi oportet, plane auxiliantur.

Compressio vasorum humeri dextri, et femoris sinistri, vel vice versa paroxysmi initio admota, ab ingenioso chirurgo Kellie multum laudatur, sed haustus ex tincturæ opii, guttis quadraginta, et ætheris sulphuricæ drachma compositus, sub initio paroxysmi exhibitus, cum ægrotus de sensu frigoris in dorso conqueritur, omnes alias longe antecellit.

De Curatione inter ardores.—Hoc morbi stadium si fieri possit, quam maxime breviandum, et sudor promovendus est, si corpus plurimum æstuat, auxilia jam dictis omnino contraria experire oportet—æger stragulis tenuioribus opertus, perflatu, potuque gelido refrigerari debet. Si calor stabilis et ardens sit, affusione frigido, aut balneo tepido, secundum ægri sensum, uti liceat. Si cor arteriæque ultra debitum concitantur, eoque cerebri munera incitatiora fiunt, sanguinem incisa vena mittere opus erit; at vero

summa cura hic adhibenda, ni enim notæ supradictæ gravissimæ hoc genus auxilii desiderent, in pejus omnia tendunt, accessiones futuræ ingravescunt, et æger ægerrime convalescit, et si affusio frigida perite applicata sit, raro necesse erit ad venesectionem decurrere. Si pulmo, aliudve viscus inflammatur, sanguini detracto potissimum fidendum esse constat; hic animadvertere liceat, sanguinem nunquam mittendum esse, nisi urgente stadio calido, vel apyrexiæ tempore, nunc uti ineunte accessione, opium summam pollicitur opem; nisi enim delirium aut inflammatio urget, fere est incredibile dictu, quantum febrientem soletur, quantumque valeat ad capitis dolorem et ardorem fugandos, ad sudorem excitandum, somnosque dulces conciliandos.

Variæ quæ refrigerant multum auxiliantur, qualia sunt acida plantarum, et quæ mineralia nominantur; cæteris ut opinor præstant acidum sulphuricum, et succus citri medici, potus confectus ex hoc succo, et subcarbonate potassæ, quæ misturam salinam præbent, inter effervescendum ingestus, admodum est jucundus et salutaris.

Sudore tandem profluente, medico nil fere agendum, sed naturæ medicatrici cendendum; potus diluti sane tepefacti bibendi; quod si sudores

aliquanto diutius trahunt, et vires multum labefaciunt, æger frigefieri debebit, leni perflatu, toralibus subductis, et liquoribus acidulis epotis. Sed si æger diathesin phlogisticam ostendit; sudorem minus mature non refrenare oportet.

De Curatione intermissioni accommodata.—Remedia dum æger a pyrexia vacat adhibenda summi sunt momenti, ex his enim perite administratis morbi curatio maxime pendet.

Vires ventriculi imminutæ, remedia dyspepsiæ accommodata postulant, cibus acescens vel difficilis concoctu, vitandus, liquores fermentati ultra modum sumpti corpori debilitato nocent—cum adsit debilitas extrema, victus nutriens parce sæpiusque sumendus est—vinum, et præsertim Madeiriense, aut rubrum Lusitanicum meracum, vel aliquanto dilutius, idque plus minusve pro ratione ætatis, virium, vivendi consuetudinis, concedendum erit; si corpus sit plenum, et homini inflammationem minitetur, ea quæ sedant et exinaniunt adhiberi oportet; interdum detractione sanguinis, sed alvum exonerare multo est tutius, permagni equidem interest, intestina penitus expurgare; præsertim apud regiones calidas, ubi

ægri abundantia fellis crudelissimi torquentur, hoc igitur consilio submurias hydrargyri, cum radice convolvuli jalapæ, et salibus mediis, nequaquam prætermitti debet. Exercitatio sub divo ad vires corporis restituendas, et ad proclivitatem ad morbum submovendam plurimum confert, gradus ejus genusque pro ægri viribus et habitu variari oportet. Lente ambulandum, aut si vires id minus sinant, equitare, curru vehi, aut navigare, multum proderit; modo vires corpus gestando exerceri haud sinant, frictio cum strigili olim apud Græcos et Romanos, et nunc dierum, apud regiones Eoas usitata, loco illius commode substitui potest. Optandum est quoque ut mens exerceatur de negotio aliquo haud ingrato, quod nec multum intentam tenerit, neque omnino in inertiam declinare sineret.

Ex omnibus medicamentis ad hunc morbum medendum, a regno vegetabile derivatis, cinchonam officinalem nunc omnes medici agnoscunt primum locum merito tenere. Si autem plenitudo, dyspnœa, facies suffusa, vel cujusvis visceris inflammationis indicia adfuerint; si caput dolet, et arteriæ crebrius et validius moventur, ad cinchonam haud confugere liceat, do-

nec sanguinis detractio vel aliæ evacuationes præcesserint.

De tempore quo hoc præstantissimum remedium dari debet alia alii medici opinantur; a multis statim post paroxysmum, atque per brevia intervalla donec febris redet, parva dosi præbetur, ab aliis autem per paucas horas solum ante paroxysmi adventum, atque dosibus majoribus, ingeri debet, sed quomodo adhibeatur, potissimum ex statu ventriculi pendere oportet; tantum cinchonæ assumendum est quantum ventriculus ferat, et æger in usu ejus persistere debet, donec morbum distulit, aut omnino depulit. Sub graviore morbi impetu, et maxime si apyrexia brevis fuerit, et ingens debilitas adsit, ad hoc remedium etiam in stadio sudante, decurrendum est.

Ampla cinchonæ dosis, ex semi-uncia ad unciam ampliusve scilicet, statim ante tempus quo paroxysmus accedere consuevit, assumpta, ad eum arcendum penitus sæpe valet.

Tamestsi, paroxymus, cinchona adhibita arceatur, postea tamen in hujus remedii usu per aliquod tempus necesse erit persistere, alioquin quædam obscuriora morbi indicia, circa solitum paroxysmi adventum oritura sunt, quæ sensim gra-

viora facta morbum denuo restituunt, haud minus gravem quam si nunquam remediis cohibitus fuerit; ne hoc autem fieret, cinchona per aliquot septimanas, post morbi decessum adhibenda est; dosi paulatim imminuta, et tandem omnino omissa.

Si alvus cinchona nimis citatur, res sedulo cavenda, exiguæ opii doses vel cujusvis medicamenti astringentis, sicut extractum mimosæ Niloticæ, catechu, kino, vel hæmatoxyli, una cum hoc remedio dentur, cum alvus tarda evadit, quod aliquando fit, huic incommodo parva rhæi copia, vel jalapæ, vel olei ricini, optime subvenitur.

Quoties ventriculus sustinet, pulvis cinchonæ ante cæteras ejus formas dandus hujus autem imbecillitas, aliquando potius extractum, infusum, vel decoctum, concedi postulat. Aliquando ventriculus infusum cum calce præparatum ferat, cum omnes alias præparationes corticis rejiciat.

Cum cinchona ventriculum prægravat, aromaticis, si vomitum incitat, acido carbonico sub forma misturæ effervescentis, vel opio solido, ejusve tinctura, vel paululo acidi sulphurici uti licebit.

Inter tres varietates hujus corticis, nimirum flavam, rubrum, et pallidam, prius maximam vim

febrifugam possidere videtur, hac de causa in hoc morbo, aliis duabus varietatibus præferri debet.

Aliæ quoque corticis species, scilicet angustura, cinchona Jamaicensis, et Caribbæa, Swietenia febrifuga, et mahagoni, contra febres intermittentes in usum revocatæ fuere, sed his omnibus, cinchona officinalis jure palmam eripit.

Variæ res amaræ atque astringentes, qualis cort. quassiæ amaræ, gentiana lutea, anthemis nobilis, artemisia absinthium, centaurea benedicta, cortex querci roboris, et alia e regno vegetabili desumpta, ut allium sativum, aristolochia serpentaria, &c. in his febribus fugandis utiles repertæ sunt.

Multæ substantiæ aromaticæ, sicut camphora, myrrha, moschus, et alia hujusmodi, usui quoque commendatæ fuere.

Cataplasma e foliis nicotianæ tabaci confectum, circa præcordia impositum, semi hora ante accessionem, interdum paroxysmum prævenire habetur.

Murias ammoniæ paulisper ante impetum stadii frigidi exhibita, ad morbum sanandum nonnullis laudatur.

Quædam e metallis preparata, nimirum oxydum album, et sulphas zinci, sulphas cupri, car-

bonas ferri, et hydrargyri, ad has febres curandas subinde cum fructu usurpata fuere; oxydum arsenici autem omnes alias præpollet, et in multis exemplis, ubi, cinchona et omnia alia remedia incassum adhibita fuere, ad hunc morbum fugandum valuit. Solutio arsenicalis, sub forma Doctore FOWLER præscripta, hujus medicamenti usui maxime accommodata est; hujus solutionis, guttæ octo in cyatho vini, bis terve die dentur, quæ ad guttas quindecim pedetentim augeantur.

Vomitus, tormina ventriculi, intestinorum, capitisque dolores, sudores et tremores, parvis etiam exiguis dosibus, quamvis caute administratis, aliquando oriri solent; hæc vitia occurrentia, solum intermissione medicamenti, aut opio parvis dosibus cum illo conjuncto removeri possunt.

Vulgus multa remedia extraordinaria, qualis aranea viva devorata, in tela eorum involuta, aliaque, hujusmodi affectat, quæ evidenter per se inutilia, et semper ludibrio habenda essent, nisi interdum mentem subito et vehementer perturbando, aut excitando, catenam morbidum quod ægrum vinxit dirumperent, si his verbis mihi uti liceat; etiamsi nonnulli medici affirmant tela araneæ et in paroxysmo cohibendo, et in morbo pe-

nitus sanando, cum insigni beneficio exhibita fuisset; ab aliis virtus ejus incantamenti adinstar protinus apparere dicitur, etsi æger naturæ rei assumptæ prorsus ignotus fuit.

Quum demum, inveterascente febre, viribus fractis, maloque habitu ingruente, lienem et jecur vitiari suspicamur, quod fere semper contingit, quum morbus diu permanserit, ad hydrargyrum haud mora confugere oportet, quod eo administrari debet, ut corpus leniter inficiat, cinchona simul copiose concidenda ni ægri vires, isto metallo aliquamdiu exhibito, delabantur.

In nullo alio morbo cui patet corpus humanum, quam in febribus intermittentibus, majora beneficia ex aëris mutatione profluunt, quæ in omni gradu morbi obtinet, etsi mutatio ad cœlum minus salubre fit; igitur quum fiere potest, fortiter suadenda est. Exempla ægrorum ipse frequentissime vidi, qui ex febribus intermittentibus pertinacissimis, ad sanitatem usque paucis mille passibus migrando restituuntur, quum omnia alia remedia spem meam fefellerent.

FINIS.

ERRATA.

Pag.	2.	1. 5.	*pro*	paraxsmo	*lege*	paroxysmo
	4.	6.		patiri		patere
	7.	9.		tumeret		tumerit
	28.	17.		fiere		fieri